

imo ineluctabilem, perniciem adferat hic
morbū: omnium vero clarissime id lique-
bit ei, qui ex anatomicis norit, ut ex-
ternam cutim, ita oculos, narium omnes
membranas, oris omnia velamenta, aspe-
ram arteriam; bronchia, oesophagum, sto-
machum, intestina; jecur, lienem, pul-
mones, obsideri his pustulis: hinc quippe
dicta intelligit, & videt, quid ad curatio-
nem requiratur, & an magnitudo mali,
perditio tot aegrorum, post vulgata auxi-
lia applicata frustra semper, non excitet
boni Medici solertiam, ut initio mali in-
vadentis summa tentet; vulgata quippe
methodo nullus, nisi sponte, emergit. Pro-
phylaxis insitiva videtur satiscerta, tutaque.

MORBI EPIDEMICI.

1404. **N**otandum vero est super omnia,
morbos haētēnus descriptos flui-
dorum, licet nomine, signis plerisque &
aliqua specie eventus iidem apparent in-
cauto, tamen in indole tecta, phaenome-
nis non nisi perito observatis, vario tem-
pore incrementi, status, coctionis, cri-
fios, effectu, eventu, sanandi methodo
requisita, saepe immensum differre.

1405. Adeoque require longe aliam ad-
ministrationem 6. Rerum non naturalium,

Z 2

aliam

aliam medelam, alia medicamenta.

1406. Cujus tamen varietatis causa adeo latens, ut a nullo sensili vitio 6. Rerum non Naturalium deduci hactenus queat.

1407. Et tamen ob communem pluribus afflictionem, possibilem evitationem, & exclusionem vento, vel igne, in aere reside re comprehenditur.

1408. Et in eo magis ob varietatem inexplicabilem exhalationum, quae vel mistrae, vel stimuli ratione nostrae machinae nocent, quam ob mutationem notabilem qualitatum sensilium; ut observatio docet.

1409. Tamen vix nisi contagio humano, quod mirum, morbos excitare.

1410. Hos autem proprie Epidemicos vocare solemus.

1411. Horum cognoscitur natura juxta regulas datas (11. 12. 13.)

1412. Lucem vero affundit Medico incognitum talem, & recens invadentem Epidemicum curaturo 1. Determinatio ejus ad speciem notam, cui maxime similis 2. Observatio ejus, qui eo tempore, circa aequinoctium vernum, vel autumnale, frequentior. 3. Attentio ad phaenomena spontanea, quae mortem, salutem, meliorem, pejorem statum morbi praecedunt, comitantur, sequuntur. 4. Eorum, quae inevitabiliter geruntur, ingeruntur, egeruntur, adju-

adjudamentum, vel nocumentum, 5. Comparatio plurium eodem tempore decumbentium simul. 6. Abstinentia ab omni auxilio, quod dubium, valde movens, mutans, tectum morbi genium obscurans.

1413. Ex quibus omnibus accuratissima attentione observatis indicatio nascitur.

C A L C U L U S.

1414. **U**bi in corpore alicubi corpus quoddam plane insolubile haeret, ei crusta calculosa brevi se applicat, plus, minusve.

1415. Id si in Renibus fit, a parte terrestri sanguinis exsiccata, fit Calculus Renum, maxime ortus ad ultimas arterias, specie arenae.

1416. Qui sensim ibidem accrescens renem obstopat, carnem ejus suffocat, consumit, specie grumi, puris, carunculae, pellum expellit, totumque tandem corrumpit, mictus sanguineos, purulentos, foetidos excitat; quin saepe ulcerationem vicinorum, post inflammationem creat.

1417. Idem quacunque causa ex loco originis (1415.) in pelvem, & inde in ureterem, hujus flexus, angustias, introgressum in vesicam delatus, saepe intercipit urinas, cum dolore inflammatorio.